

AN. 231

Yb
1836



QK. 231.

20

IV
153.

PANEGYRIN SOLLEMNEM
QVA
NVPTIAS AVSPICATISSIMAS
PRINCIPVM SERENISSIMORVM
ET CELSISIMORVM

ERNESTI LUDOVICI
DVCATVVM GOTHANORVM ET ALTENBURGENSIVM
PRINCIPIS HAEREDIS
ET

MARIAE CHARLOTTAE AMALIAE
ERNESTINAE WILHELMINAE
HENRIETTAE PHILIPPINAE

DVCIS COBURGO-MEINVNGENSIS

DVCVM SAXONIAE IULIAE CLIVIAE MONTIVM ANGRIAET
WESTPHALIAE LANDGRAVIORVM THVRINGIAE MARCHIONVM
MISNIAE PRINCIPVM DIGNITATE COMITVM HENNEBERGAE
COMITVM MARCAE ET RAVENBERGAE DYNASTARVM
RAVENSTEINII ET TONNAE

PRINCIPVM SVORVM INDVLGENTISSIONORVM

PATRI PATRIAEC CLEMENTISSIMO
CONIVGIBVS SERENISSIMIS
AVGVSTAEC DOMVI SAXONICAEC
CIVIBVS OMNIBVS SIBI DENIQUE
GRATVLABITVR

GYMN. ILLVSTRE GOTHANVM


INDICIT

JOANNES GOTTFR. GEISSLERVS R.



GOTHAE LITTERIS REYHERIANT.

BIBLIOTHECA
PUNICKAVIANA



C ELEBRATAS nuper esse nuptias auspicatissimas
SERENISSIMORVM ET CELSISSIMORVM PRIN-
CIPVM, ERNESTI LVDOVICI, DVCATVVM GO-
THANORVM ET ALTENBURGENSIVM PRINCIPIS
HAEREDIS et MARIAE CHARLOTTAE A-
MALIAE ERNESTINAE WILHELMINAE
HENRIETTAE PHILIPPINAE, DVCIS CO-
BVRGO - MEINVNGENSIS ita laetantur ciues omnes,
SERENISSIMI ET CELSISSIMI PRINCIPIS AC DO-
MINI FRIDERICI TERTII PATRIS PATRIAE
OPTIMI PII FELICIS INDVLGENTISSIMI imper-
rio subiecti, ut quauis impensa, quibusuis sumtibus
pietatem, animi submissionem, laetitiam prodere, te-
stificari, demonstrare publice mire cupierint. Placuit
DOMINO CLEMENTISSIMO pietas, uehementer displi-
cuerunt impensae faciundae, priuata et tacita, quae
sine impendio se proderet, pietate SE contentum esse
edixit. Gymnasio svo Illustri uni et soli indulxit, ut

publicam laetitiam publice laetaretur, priuatos ciuium
 SVORVM plausus, uota priuata in medium proferret,
 ciuium omnium partes et personam sibi tuendam im-
 poneret, impositam qua posset diligentia et industria
 gereret. Hoc suo iure, sibi honorificentissimo et ad
 omnem posteritatem maxime commemorabili, ita ute-
 tur Gymnasium nostrum, ut crastino die, post Pane-
 gyrin latinam a Rectore habendam, prodeant tres
 Gymnasi ciues, modestia, literarum studio, morum
 elegantia, praeceptoribus in primis probati: *Io. Fridr.*
Blumenbachius, *Lud. Wilb. Zinkeisenius*, et *Car. Rud. Zink-*
eisenius, omnes Gothani, declamando publice exper-
 turi, quid in ferendo tanto onere, ut ille ait:

— ferre recusent

Quid ualeant humeri.

Haec sollemnia scholastica ut praesentia frequenti au-
 gere, amplificare, ornare, illustrare non nolint, *Maece-*
nates Illusterrimi, *Perillustres Aulae Proceres*, *Ephori Gymnaſii*
Venerandi, *Ciues sua quisque dignitate conspicui*, omnes, qui li-
 teris et Gymnasio bene cupiunt, non quia necesse est,
 neminem enim, haec solennia PRINCIPI OPTIMO,
 non Gymnasio, sacra esse, cogitantem dedignaturum
 opinor, sed quia moris et humanitatis est, submississime,
 obseruantissime, humanissime oro quaeſoque.

P. P. a. d. x. Apr. A. R. S. cīciōcclxix.

PRAE-

PRAEFATIO
 PROLVSIONIBVS DE CONCORDIA IN NV-
 MIS THÈSAVRI FRIDERICIANI
 DEINCEPS EDENDIS

PRAEMISSA.

Cum ante hos uiginti quatuor et quod excurrit annos, bonarum literarum tractandarum causa Lipsiae uerſarer, doctrina et auctoritate *Io. Frid. Christii*, τὸν πάντα adductus, monumentorum antiquorum, gemmarum puta, numorum, lapidum, signorum studio operam dare coepi. In quo amplissimo campo, ut proxima et compendiaria uia, quam possem citissime progrederer, placuit, singulare quoddam caput, cuius plurima in omni antiquarum rerum genere mentio, feligere, quod in titulis, numis, gemmis, signis antiquis persequerer, et dum undiquaque illuc pertinentia congererem, probabilem rerum antiquarum notitiam compararem, collecta uero olim euulgando, harum laudiarum cupidis, uel prodessem, uel laboris similis fuscipendi otium faltem facerem. Haec cogitanti et molienti peropportune nuntius afferebatur, de primo *Serenissimorum Coniugum, FRIDERICI CHRISTIANI, Auguſti Polon. Regis et Eleſt. Sax. F. et MARIAE ANTONIAE, Caroli Imp. Aug. Bauar. Eleſt. E.* Lipsiam aduentu, quem tum Iuuentutis Saxonicae Principem, miro omnes numorum inprimis antiquorum amore flagrare praedicabant. Cui cum uel maxime qualiacunque

a 3

mea



mea studia probare cuparem, circumspicere e re numaria ueterem petitum argumentum coepi, quod ad celebrandum commentatiuncula quadam auspicatissimum istorum principum coniugium, nuperrime initum, idoneum esset. In Concordiam augustam ergo incidi, qua epigraphe numos plurimos Imperatores Romani excudendos curarunt, dum coniugia publice celebrare cuperent. At istos quidem conatus Principi doctissimo placendi, satum, ut ego quidem tum opinabar, disturbabat iratus, ut nunc intelligo, benignissimum. Ansam enim hinc nauctus, quiequid de Concordia in monumentis antiquis appareret, conquirendi, ex bibliothecarum publicarum aequae ac priuatarum, earumque locupletissimartum copiis nihil non congerere, et, ut sunt studia iuuenia, infinito studio quaeuis obuia cogere in commentarios, coacta digerere, explicare, illustrare al laborau. Duplicis uero illa fere generis erant. Alia nempe quae ad Concordiam pro Dea a superstitione antiquitate cultam, pertinerent, alia quae concordiam, id est, animorum consensum et conspirationem in primis spectarent. Ista quidem peculiari libello Lipsiae A. 1515 CCL publice ad disceptandum proposito, complexus sum, haec seponere tantisper, et aliis temporibus referuare placuit. Paullo post autem Lipsia Gorlicium retractus, et munere grauissimo distentus, omnem eorum edendorum uoluntatem abiiciebam, praecipue, cum intelligerem, de numis, antiquis maxime, dicturo, semper aliorum fide nitendum, ipsorum numorum inspiciendorum non modo facultatem, uerum etiam spem omnino ereptam esse. Stabat igitur

fenten-

sententia retinere et supprimere copolas nostras hic facientes, et ita stabat, ut ne a *Wacker*o quidem, Principis Electoris Saxonie Antiquario peritissimo non magis quam intelligentissimo, persuaderi mihi paterer, dignas esse, quae cum orbe, qua patet, literario communicarentur. Summi tandem ac diuini numinis nutu, et SERENISSIMI CEL-
 SIS SIMI QVE FRIDERICI DOMINI MEI INDVL-
 GENTISSIMI iussu Gotham euocatus, adeoque Thesauri Fridericiani numarii nusquam non celebratissimi inspiciendi tractandique copiam nactus, in *Schlaegeri* denique, Antiquariorum nostri aeui primarii, amicitiam et quasi contubernium deductus, pristinos amores et delicias non reuocare in mentem non potui. Redierunt etiam in memoriam labores olim suscepiti, et spes fructuum tandem aliquando inde percipiendorum non exigua affulserat, differenda tamen amoenorum harum literarum studia in otiosiora tempora uidebantur, cum sub ipsa muneris amplissimi primordia maiora et grauiora urgerent. Ecce autem subito rumor de coniugio auspiciatissimo SERENISSIMI AC CELSIS-
 SIMI PRINCIPIS ERNESTI LVDOVICI DVCA-
 TVVM GOTHANORVM ET ALTENBURGENSIVM
 PRINCIPIS HAERDIS CVM SERENISSIMA AC
 CELSISSIMA PRINCIPE MARIA CHARLOTTA
 AMALIA ERNESTINA WILHELMINA HEN-
 RIETTA PHILIPPINA DVCE COBURGO-MEI-
 NVNGENSI, spargi, serpere, corroborari denique et confirmari coepit. Quid multa? in publica, eaque iustissima omnium laetitia tacere Gymnasio adeoque mihi turpe et in-
 dignum,

dignum, loqui uero subito, et quidem TANTO TAMQUE DOCTO PRINCIPALE digna, difficile erat. Commode Thesauri Fridericiani in mentem uenit, quo abuti ad PRINCIPALM OPTIMVM pie deuenerandum, sua certe κειμήλια non aspernaturum, non inhonestum uisum est, interponendo hinc inde et interpolando, quae uel olim a iuuene in hos usus conquisita, uel a Schlaegero ad has literas iuuandas et ornandas nato humanissime communicata sunt. Omnes scilicet asferre numos in medium animus est, qui in Thesauro Fridericiano Concordiae inscriptionem prae se ferunt, eo ordine, quo in Indice a peritissimo Schlaegero adornato * enumerantur, aliis eadem epigraphen habentibus numis, alibi in numophylaciis reconditis, adiectis, ut quoddam quasi corpus de Concordia in numis conspicua inde existat.

Sed cum hoc prolusionum genus, quod sollemnibus scholasticis indicendis inferuit, in plurimorum manus non possit non incidere, qui rei numismaticae plane imperiti sint, dabunt id intelligentes et his sacris initiati, ut istorum causa in uniuersum ea paucis praemoneam, quae ad intelligenda posteriora necessaria sunt. Pertinent uero talia praemonita, cum ad rem numariam, tum ad Concordiam in numis laudatam.

* Duplicem Thesauri Fridericiani indicem adornauit idem ille Vir doctissimus et humanissimus. Alterum, qui HERI INDVLGENTISSIMI insu, seniorum ordines, olim digestos, persequitur. Inuentarium mul-

go uocant. Et hunc nos sequemur. Alterum ad chronologiae leges aliae pracepta in describendis numorum ordinibus maxime necessaria curiose elaboratum.

dataam. Illuc, duas numorum facies, primariam, quae fere caput principis, cuius causa uel iussu numus percussus est, impressum habet, ab antiquariis *aduersam* uel *anticam*, Gallis *Avers*, alteram, in qua hodie maxime insignia principalia signantur, *aversam* uel *posticam*, Gallis *Revers*, nominari; *planitiam*, quae titulo in orbem ducto includitur, *aream*, et, si quid eius lineola infra dueta, ab eadem resectum sit, istud *segmentum*, *imum*, *imam partem* appellari. In tribus deinde metallis, in quibus numi ut plurimum signati sunt, auro, argento, aere, non eandem omnium numorum amplitudinem et formam seruari, sed in argento rarius, in aere uulgo, tria formarum genera distingui, quae *modulos* vocare peritis placuit, ut adeo aerea numismata, uel primi, uel secundi, uel tertii moduli sint, quibus maiora, riora et infrequentiora addi solent, quae *maximi moduli* dicuntur, Gallis *Medallons*, Italis *Medaglioni*, dicta, olim, ut aiunt, *missilia* appellata, amplitudinis maximae, et aliquando peculiariter circulo inclusa et circumdata, qui ipsis, uoce ab Italis mutuata, *Contorniatorum* nomen peperit. In ordinandis porro et dirigendis numis antiquioribus hunc fere apud numorum descriptores morem inualuisse, ut post regum et liberarum urbium numos, quorsum, praeter Romanos, omnes fere referuntur reliqui, primum eos receinseant, qui ante Augusti imperium procusi sunt, quos *Familiarum*, uel *Consulares* numos nominare libuit, post, qui Imperatorum Romanorum uel iussu, uel permisso, cum Romae, tum alibi, in coloniis etiam et municipiis, signati fuerunt, quorum, qui ante Aurelianii tempora prodierunt, ad superius.

b

Impe-

Imperium, Gallis *haut Empire*, qui ab Aureliano inde ad Heraclium, uel Constantimum Palaeologum, ad inferius, Gallis *bas Empire* pertinere dicuntur. Plura denique numerorum nomina apud hartum rerum cupidos in usu esse, nempe *subaeratos* eos dici, quibus, uere aereis, laminâ argentea artificiose inducta sit, *perforatos*, qui de industria pertusa sint, *serratos*; quorum margo insectus dentes reserat, *aerugine nobili conspicuos*, qui aeruginem uetustatis indicem praeferant, ita ut numi non exesi, sed eleganter oblitii uideantur.

Haec fere sunt, quae ex disciplina numaria petita praemonenda uisa sunt. Nunc de Concordia etiam ea afferemus, quae maxime necessaria uidebuntur, nempe quae nesciuisse in legendo indice, posthaec edendo, graue et moleustum futurum erat. Scilicet, ut nulla propemodum uirtus est, quam superstitionis antiquitas cultu diuino non prosecuta fit, ita et Concordiae aras, templa dedicare, eandemque ut Deam deuenerari Romanis non indignum uisum est. Hinc Deae Concordiae, uel caput, uel effigies, stantis, sedentis in plurimis numis signata est, saepissime in auersa numerorum parte, aliquoties etiam in aduersa. In numis, quos consulares, uel Familiarum uocant, rara eius mentio, et iis fere demum temporibus, quibus Triumviri Reipublicae Constituendae imperium sibi Romanum vindicauerant. Inde uero ab Augusto ad Anastasium usque longe frequentissima, ita tamen, ut frequentior eius memoria pedetentim inualuerit, et non Dea Concordia magis, quam

quam concordia Imperatorum et Augustarum, Parentum et Liberorum Augustorum, Fratrum Augustorum, Collegarum Imperii, Imperatorum et militum, Imperatorum et ciuium, Imperatorum denique et prouinciarum in numis uel uera vel ficta celebrata sit. Laudatur enim saepius in numis concordia eorum, quos capitali fere odio diffensisse alia historiarum monumenta loquuntur. Vnde et a meo consilio, Thesauri nempe Fridericiani particula euulganda et supplenda, alienum uisum est, commentando et explicando numos singulos opus infinitum aggredi, sed potius indicem plenissimum omnium numorum sistere, qui Concordiam expressis uerbis laudent, qui Commentarios desiderent, ad *Angelonum*, *Augustinum*, *Begerum*, *Bellorium*, *Buanarottum*, *Goltzium*, *Gorium*, *Hauercampum*, *Liebium*, *Patinum*, *Schlegelium*, *Trifstanum*, *Valentem*, *Venutum*, alias, quos nemo nescit, ablegaturus. Hinc obuiae in numis inscriptiones: *Concordia*, *Concordia Augusta*, *Augustorum*, quorum numerus in inferiori in primis imperio ita fere notatur: *Augg.*, *Auggg.*, *Augggg.*, *Caesarum*, *Equitum*, *Exercitus*, *Imperii*, *Legionum*, *Militum*, *Populi Romani*, *Praetorianorum*, *Prouinciarum*, *Romanorum*, *Seculorum*, quibus nonnunquam epitheta, *aeterna*, *felix*, *perpetua* adiiciuntur. In typis uero, siue imaginibus, quibus Concordiam in numis effictam uidemus, quamvis maxima insit uarietas, cum in iis modo, quae inscriptione *Concordia Aug.* gaudent, septuagies et nouies uariatum esse olim inuenierim, frequentissimam illam notabimus, quae, muliebri habitu expressa, pateram et hastam puram, diuinitatis insignia, cum cornucopiae, quod affluentiam, primarium concordiae

cordiae fructum demonstrat, secum habet. Post hanc nexus manuum, virorum et seminarum manus iniicem iungentium picturae, signa denique militaria, vel in Concordiae stantis manibus, vel in nexu manuum, fere frequentes Concordiae typi sunt, quos, qui nouerit, reliquos paululum vel immutatos, vel auctos explicare, saltem afferqui coniectura facile poterit. Istud modo tenendum, in inferiori imperio, uti elegantiam numorum et integratem uehementer diminutam esse, nemo inficias ire audeat, ita et typorum ueritatem, concinnitatem et artificiosam simplicitatem nunquam non desiderari. In inscriptionibus denique utriusque partis, et singulis literis, iis maxime, quae vel in area, vel in imo occurrerint, explicandis, quae pro certis afferri poterunt, paucis proferre in medium animus est, ea autem, quae vel dubia, vel incerta, vel levia et nugatoria a pluribus hanc in rem allata sunt, repetere, et magno conatu nihil agere, non est meae uerecundiae.

Tantum est, quod praefandum duximus, ab indice ipso numorum euulgando, chartarum angustia inuiti depulsi, fidem tamen datam, propediem, quando sacra natalitia HERI SERENISSIMI celebrare continget, summa, qua possumus, diligentia, liberaturi.

41 1836 68

(4)


ULB Halle
006 247 164

3



V07P





AN. 231. 20

IV 153

PANEGYRIN SOLLEMNEM

QVA

NVPTIAS AVSPICATISSIMAS
PRINCIPVM SERENISSIMORVM
ET CELSISIMORVM

ERNESTI LVDOVICI

DVCATVVM GOTHANORVM ET ALTENBURGENSIVM
PRINCIPIS HAEREDIS

ET

MARIAE CHARLOTTAE AMALIAE
ERNESTINAE WILHELMINAE
HENRIETTAE PHILIPPINAE

DVCIS COBURGO-MEINVNGENSIS

DVCVM SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGRIAЕ ET
WESTPHALIAЕ LANDGRAVIORVM THVRINGIAЕ MARCHIONVM
MISNIAЕ PRINCIPVM DIGNITATE COMITVM HENNEBERGAE
COMITVM MARCAЕ ET RAVENSBERGAE DYNASTARVM
RAVENSTEINII ET TONNAE

PRINCIPVM SVORVM INDVLGENTISSIMORVM

PATRI PATRIAЕ CLEMENTISSIMO
CONIVGIBVS SERENISSIMIS
AVGVSTAЕ DOMVI SAXONICAЕCIVIBVS OMNIBVS SIBI DENIQUE
GRATVLABITVR

GYMN. ILLVSTRE GOTCHANUM

INDICIT

JOANNES GOTTFR. GEISSLERVС R.



GOTHAЕ LITTERIS REYHERANTS.

